



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum**

**Heser, Georg**

**Monachii, 1657**

266. De ablutione pedum Apostolis exhibita.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)



tibi Magister; Vbi est diversorium, ubi est  
refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis  
manducem? *Marc. 14. v. 13. & 14. Luc.*  
*22. v. 8. 9. 10. 11.* Magister dicit: Tempus  
meum prope est, apud te facio Pascha cum  
discipulis meis. *Matth. 26. v. 18.* Et ipse vo-  
bis demonstrabit cœnaculum grande, stra-  
tum; & illic parate nobis. *Marc. 14. v. 15.*  
*Luc. 22. v. 12.*

III. Abierunt discipuli ejus, & venerunt  
in civitatem: & invenerunt, sicut dixerat.  
illis, & paraverunt Pascha. *Marc. 14. v.*  
*16. Luc. 22. v. 13.* Vespere autem facto, &  
cum facta esset hora, venit cum duodecim.  
Discubuit, & duodecim Apostoli cum eo.  
*Marc. 14. v. 17. Luc. 22. v. 14.*

## MEDITATIO CCLXVI.

*De ablutione pedum Apostolis  
exhibita.*

I. CÆNÂ factâ, cum diabolus jam misisset  
in cor, ut traderet eum Iudas Simonis  
Iscariotæ; sciens, quia omnia dedit ei Pater  
in manus, & quia à DEO exivit, & ad DEUM  
vadit: surgit à cœna, & ponit vestimenta  
sua: & cum accepisset lintheum, præcinxit se.  
Deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit la-  
vare pedes discipulorum, & extergere lin-



teo, quo erat præcinctus. *Ioan. 13. vers.*  
*2. 3. 4. 5.*

II. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus: Si non laverò te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed & manus, & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus. *Ioan. 13. v. 6. 7. 8. 9. 10.*

III. Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum. Propterea dixit: Non estis mundi omnes. *Ioan. 13. v. 10. & 11.*

## MEDITATIO CCLXVII.

*Christus proditionem Iudæ  
 prodicit.*

I. **D**iscumbentibus eis, & manducantibus, cum hæc (que habentur *Ioan. 13. v. vers. 12. usque ad vers. 21.*) dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit: Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis traderet me, qui manducat mecum.

*Marc.*